

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2096

Auteur(s) : Raoul du Planchey, bourgeois de Louviers [autre]

Bénéficiaire(s) : Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1256, septembre

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul du Planchey, bourgeois de Louviers, avec le consentement d'Héloïse, sa femme, donne aux abbé et religieux de Saint-Taurin la dot que détient encore Técie, sa belle-mère, jadis épouse de Gillebert du Planchey, son père, décédé.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCX, p. 252-253.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris Radulphus de Plancheio, burgensis de Locoveris, salutem in Domino.
Noveritis me, assensu et voluntate Helvyse, uxoris mee, dedisse et concessisse et presenti carta confirmasse, pro salute anime mee et antecessorum ac successorum meorum, viris religiosis abbati et conventui monasterii Sancti Taurini Ebroicensis, ibidem Deo servientibus et in posterum servituris, totum dotalicium cum omnibus pertinentiis suis, quod quidem dotalicium tenet Tecia, noverca mea, condam uxor Gilleberti de Plancheio, patris mei defuncti, ex morte ipsius Gilleberti, et ex nunc trado eisdem religiosis dominium et proprietatem et possessionem predicti dotalicii cum omnibus pertinentiis ; ita quod de cetero sint inde veri domini et proprietarii, in quos transfero totum dominium et totum jus quod habeo vel habere potero, ego vel heredes mei, in predicto dotalicio et pertinentiis ex quacumque causa, tam in vita mea quam post mortem Tecie supradicte vel etiam habere possent heredes mei post mortem suam, quibus in hoc prefero dictos religiosos dominos meos capitales ; habendum et tenendum predictum dotalicium prenominate religiosis in puram, liberam et perpetuam elemosinam, sicut aliqua elemosina liberius aut melius possideri potest aut haberi, sine aliqua reclamacione mei de cetero vel heredum meorum aut uxoris mee supradicte, salvo jure capitalium dominorum. Dictum autem dotalicium cum omnibus pertinentiis ego et heredes contra omnes garantizare tenemur dictis religiosis ad usus et consuetudines Normannie. Et si predicti religiosi expensas fecerint pro defectu garantizationis predicte, ego et heredes mei de residuo hereditatis nostre eas dictis religiosis refundere tenemur ; et hoc juravimus ad sancta Dei Evangelia ego predictus Radulphus et Helvysa, uxor mea prenominate.

In cujus rei testimonium, presenti scripto sigilla nostra duximus apponenda.

Actum anno Domini M° CC° quinquagesimo sexto, mense septembri.